

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 1

---

1990

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1990

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Ro- tae Romanae coram . . . . .	3
Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos ac Officiales Paenitentiariae Apostolicae et ad Paenitentiarios Basilicarum Patriarchalium in Urbe coram admissos . . . . .	8

### ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium . . . . .	11
--	----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et moralibus » (« De Quaestio- nibus specialibus Libri II » (Sessio VII) . . . . .	12
II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio VIII) . . . . .	36
III. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio IX) . . . . .	74
IV. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio X) . . . . .	118

\* \* \*

Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	167
Notitiae . . . . .	168

## IV

**COETUS STUDII  
«DE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS»**

(OLIM «DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS»)

**Sessio X**

(diebus 13-17 novembris a. 1972 habita)

Diebus 13-17 novembris 1972, in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est Xa Sessio Coetus Consultorum «De personis physicis et iuridicis», quam aliqui Consultores, e coetu «De normis generalibus» selecti, participati sunt.

In conventibus partem habuerunt Rev.mi tres ac Ill.mi pariter tres Consultores.

Rev.mus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta rededit.

Aliquibus conventibus interfuit etiam Em.mus Commissionis Praeses, Card. Pericles Felici.

Materia, in hac Sessione tractanda, erat: de illis officiis ecclesiasticis quae iure constituuntur, scilicet de eorum erectione etc.; insuper de ordine systematico canonum qui normas generales constituunt, necnon canonum qui a Coetu studii «De personis physicis et iuridicis» confecti sunt.


Votum scriptum miserunt Rev.mi duo et Ill.mus unus Consultores.

Rev.mus Relator, ineunte Sessione, animadvertisit in primis agi de recognitione partis V, tit. XXV CIC, can. 1409 et sqq., videndum esse scilicet an isti canones, qui de constitutione et collatione beneficiorum tractant, applicari possint ad canones de officiis ecclesiasticis.

Notat Rev.mus primus Consultor agi tantum de constitutione, innovatione et suppressione illorum officiorum quibus Ecclesia in suis structuris constituitur, quia canones de collatione iam parati et recogniti sunt. Et insuper resumit ea quae in suo voto scripsit, ut nempe sermo fiat de «officio praesimali», quo obligationes et iura definiuntur eorum qui praesunt in Ecclesia.

Rev.mo Secretario Ad. nomenclatura a Rev.mo primo Consultore proposita non placet; praeferret ut diceretur «praecipua» vel «fundamentalia» officia, loco «praesimalia».

Ill.mus secundus Consultor notat nullam haberi utilitatem disceptatio-



nem de nomine ad finem nostri hodierni conventus. Quaestio remittenda videtur post revisionem horum canonum.

Instat Rev.mus primus Consultor quia agitur de officiis quibus mediantibus Ecclesiae structura determinatur. Omnia enim alia officia ad ista fundamentalia sese referunt. Quapropter obligationes et iura definitiuntur illius qui determinatae communitati ecclesiali praeest. Officium istud — sive praesidiale, sive fundamentale vocetur — natura sua cohaeret cum communitate quae eodem officio mediante aedificatur ideoque una cum ea erigitur, innovatur vel supprimitur.

Rev.mus tertius Consultor tenet obiective dari distinctionem inter officia; tamen, si normae clarae circa officia fundamentalia et non fundamentalia non dantur, ista distinctio potius ad doctrinam pertinet.

Rev.mus quartus Consultor cogitat officia ecclesiastica inter se distingui, sed non necessario distinctionem faciendam esse in Codice: pertinere potius ad doctrinam ideoque scholis relinquendam.

Ill.mus quintus Consultor non videt quid proposita distinctio ad officii ecclesiastici sensum afferat. Munera, ex.gr. Episcopi vel parochi ab officio pastorali initium sumunt et non ab officio sic dicto praesimali.

Ill.mo sexto Consultori distinctio perplacet, sed potius doctrinalis videtur neque in textu inserenda.

Adhuc Rev.mus primus Consultor instat, quia officia praesimalia structuram Ecclesiae respiciunt. Relatio enim necessaria habetur officium praesidiale inter et communitatem; secus communitas regularis seu legitima in Ecclesia dari nequit, praesertim pre oculis conditionibus hodierni temporis habitis. Communitas ecclesiastica in Ecclesia est portio populi Dei legitime erecta.

Rev.mus Secretarius Ad. notat non pro omnibus valere officiis fundamentalibus rationem praesidentiae. Melius igitur est dicere « cohaeret » quam « praeest », ne tota communitas ecclesiastica per Episcopum constituantur. Functio insuper constat obligationibus et iuribus.

Ill.mus quintus Consultor observat qualitatem praesidentiae in Episcopo neminem esse qui neget, sed aliam rem esse in parocho, qui non praeest.

Rev.mus primus Consultor replicat de cohaerentia specifica agi, qua, mediante hoc officio, communitas erigitur ecclesiastica.

Negat hoc Rev.mus Secretarius Ad. quia officium erigitur cum communitas necessitatem habet. Officium Episcopi dioecesani erigitur quia communitas dioecesana erigitur et non e contrario. Nam, quae eriguntur sunt communites, ex.gr., paroecia, et ex hoc Episcopi obligatio consequitur parochum nominandi.

Ideoque nulla adest necessitas, nec etiam opportunitas, distinctionem

a Rev.mo primo Consultore propositam in Codice inducendi, quia cum illa determinata communitas constituitur, is qui eam prae sideat nominandus est, et eius proinde obligationes et iura in canonibus determinantur.

Rev.mus primus Consultor declarat se cum aliis consentire non posse, quia non agitur de distinctione quae tantum ad doctrinam pertinet, ideoque scholis reliquenda, cum iam in Codice habeatur distinctio inter officia fundamentalia et subsidiaria etsi sub canonibus de beneficiis.

Denique Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut huic disceptationi finis imponatur; manente possibilitate, cursu laborum, eam resumendi, si necessitas id postulet.

Transitus fit ad considerationem can. 1411 CIC.

#### *Canon 1411 CIC*

Quaestio est utrum expedit distinctiones in eo contentas servare, ad officia quod attinet:

1° Omnes convenient de suppressione distinctionis inter « consistorialia » et « non consistorialia », quia est descriptio quae nullum effectum iuridicum habet (Secretarius Ad.); Romanus Pontifex potest facere extra Consistorium (primus Consultor); sufficit ut clare dicatur quaenam est competentia Romani Pontificis et Episcopi dioecesani (secundus Consultor).

2° A priori non videtur retinendam esse distinctio inter « saecularia vel religiosa ». Postea videbitur an alicuius utilitatis distinctio esse possit. Nam, hodie etiam laicus obtinere potest officium ecclesiasticum, ex. gr. iudicis, professoris religionis, etc. (Secretarius Ad.).

Notat Rev.mus primus Consultor religiosos petere posse ut distinctio servetur, ex.gr. ad paroecias et monasteria quod attinet, quia saepe eis unita est substantatio illarum communitatum. Principii causa « saecularia saecularibus et religiosa religiosis », distinctio manere deberet.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. officia saecularia saepe religiosis committuntur sed saecularia remanent, uti accidit ex gr. pro multis Urbis paroeciis.

3° Non habet momentum neque utilitatem distinctio inter « duplicita » et « simplicita » vel « residentialia » et « non residentialia », quia res pendet ab obligationibus in canonibus determinatis.

4° Quae in hoc numero dicuntur de « manuali », « temporario seu amovibili », « perpetuo seu inamovibili » iam immutata sunt; ergo placet ut supprimantur. Omne, enim, officium amitti posse nota est characteristica officii.

5° Distinctio inter « curata » et « non curata » momentum adhuc retinet, sed de hoc alibi sermo fit ubi, nempe, de officiis, ideoque superfluum est hic servare.

*Canon 1412 CIC*

Placet ut supprimatur, quia extra systema beneficiale totus canon non habet existendi rationem (secundus Consultor); nam agitur tantum de aliqua loquendi regula quae rem non tangit (primus Consultor).

*Canon 1413 CIC*

§ 1. Rev.mus tertius Consultor proponit ut de officiis Romano Pontifici non reservatis sermo instituatur. Respondeat Rev.mus primus Consultor istos canones omnia officia respicere et Romanum Pontificem non posse omnes actus pro libitu suo ponere. Necessa est ut uniformitas habeatur pro erectione, innovatione vel suppressione omnium officiorum.

Notat Rev.mus Secretarius Ad. in canonibus sequentibus de competentia tractari circa erectionem etc. communitatum cum quibus officium cohaeret; id est de erectione, etc. dioecesis, paroeciae et non de erectione etc... officii Episcopi dioecesani et parochi.

*Canon 1414 CIC*

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit heic locum dari posse ad distinctionem de officiis fundamentalibus de qua disceptatum est. Sed aestimat hoc faciendum esse tantummodo, si effectus iuridici habeantur; de quibus tamen ubi agitur de singulis officiis sermo istitui potest. Ideoque res inutilis evadit. Consentiant Rev.mus quartus et Ill.mus quintus Consultores.

Ill.mo secundo Consultori videtur textum de potestate deque officiis compleendum esse cum iis elementis, quae in Codice de beneficiis dicuntur, id est, si quaedam elementa utilia in Codice sint de beneficiis statuta, quae ad officia spectant. De singulis officiis tractandum est ubi de sacra Hierarchia sermo est.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit quid sentiant Consultores: utrum agendum sit de erectione officii an de erectione communitatis, quae officii constitutionem secum fert. Ideoque petit utrum caput I inscribendum sit « de constitutione seu erectione officiorum » an « communitatum ».

Ill.mus sextus Consultor notat quaestionem de dioecesis vel paroeciae constitutione, problema esse sic dictae « structurae » ecclesiasticae et clare distinguendum esse inter hoc et officium. Sut enim res bene inter se di-

stinctae. Nos in problema sic dictae organisationis Ecclesiae intrare nequimus nec volumus.

Ill.mus secundus Consultor tenet rem a natura officii pendere. Nam, officium Episcopi dioecesani clarum est, sed, ex. gr., officium iudicis non ita clarum evadit.

Em.mus Praeses notat elementum beneficij distinctivum patrimoniale esse. Ideoque difficile videtur canones de beneficiis ad officia aptare; attamen, possunt semper recognosci canones ed videri potest utrum aliquid ad officia aptari possit, reicta tractatione de iis quae ad Ecclesiae organisationem spectant.

Ipse insuper declarat constitutionem alicuius coetus Consultorum in animo habere, qui de systemate beneficiali agat.

Rev.mus Secretarius Ad. textum a Coetu de Sacra Hierarchia de circumscriptionibus ecclesiasticis paratum legit, qui in can. 1 § 2 haec habet: « Unius Supremae Ecclesiae Auctoritatis est, auditis quorum interest Episcorum Conferentiis, Ecclesias particulares, provincias ecclesiasticas constituer, supprimere aut innovare ». Quaerit quid Consultoribus videatur de textu simili pro constitutione, innovatione et suppressione officiorum, animadvertisendo non esse congruum bis in eodem canones proponere.

Ill.mus secundus Consultor quae in voto scripsit recolet, nempe officia et functiones a Christo Ecclesiae dari, et Romanum Pontificem necnon Episcopos esse organa illarum functionum.

Rev.mus Secretarius Ad. arguit non recte dici officia et functiones in Ecclesia a Christo Domino Romano Pontifici et Episcopis committi. Pro Episcopis dioecesanis canonica missio requiritur, quae quidem necessaria est exercitium potestatis et functionum pro determinata Ecclesia particuli, sed potestas ipsa episcopali ordinatione confertur.

Etiam in principio suppletionis iurisdictionis ex Ecclesiae parte, est suprema potestas quae supplet et non communitas.

Ill.mus Secundus Consultor observat in Ecclesiae structurae organisatione elementa adesse, uti ordinem sacrum et alia elementa ordinis iuridici, quae potestatis solidam effigiem exprimunt. Ordo potest considerari etiam uti structurae Ecclesiae functio et uti praesuppositum essentiale et personale facultatum exercitii. Terminologia adhibita — concludit Ill.mus Vir — principiis theologicis non obstat.

Rev.mus primus Consultor dissentit a sententia, quae tenet ordinatio ne sacra omnes obtineri potestates. Ceterum, de quaestione agitur, quae adhuc est multum inter auctores disputata.

Nota praevia, enim, Constitutionis dogmaticae de Ecclesia *Lumen Gentium*, in n. 2, dicit consulto vocabulum « munerum » adhiberi, non ve-

ro « potestatum », quia haec ultima vox de potestate ad actum expedita intelligi posset. Ideoque munus est potestas ad exercitium expedita.

Disceptationi finis tandem aliquando imponitur. Et, ut procedatur, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum an non sufficiant normae, quae pro paroeciis et dioecesibus dantur.

Iuxta Rev.mum tertium Consultorem necessitas loquendi de officiis principalioribus non liquet. De reliquis officiis ad auctoritatem sive supremam sive inferiorem iudicium spectat. Ideoque res relinqu potest.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit officium, qua tale, secus ac beneficium, personalitate iuridica minime gaudere.

Ad mentem Ill.mi sexti Consultoris, cum officium medium sit ad potestatis exercitium, tantum modus accedendi ad officium et recedendi ab officio considerandus est, nec de quaestionibus quam maxime complexis et perdifficilibus agendum est, quae ceterum ad nostri Coetus labores non pertinent. Ideoque quae de officii provisione dicta sunt sufficere videntur.

Ill.mus secundus Consultor distinguere desiderat: 1° potestatis in Ecclesia exercitium in concreto varios secumfert modos aliquem in sua potestatis exercitium immittendi; 2° officium sive a iure sit determinatum, sive non, elementum est fundamentale. Tamen necesse est ut quae determinanda sunt stabilentur, praesertim quod attinet ad officium decreto constitutum et simul collatum.

Episcopus enim officium creare nequit sine eiusdem praevia determinatione. Denique in can. 1, tit. IV de officiis ecclesiasticis (CIC 145) ipse proponit ut adiungantur verba « a competenti auctoritate » post « quodlibet munus ».

Propositio Consultoribus placet.

Rev.mus primus Consultor vellet ut adiungeretur insuper verbum « ecclesiastica » ne auctoritas civilis praesumat sese in re immiscere; sed alii contradicunt, quia de iure canonico agitur et clarum ex sese evadit tantum ecclesiasticae auctoritati pertinere officia ecclesiastica providere.

Instat Ill.mus Secundus Consultor ut stabilietur quandonam a iure et quandonam decreto officium costitui debeat; secus sermo de organisatione ecclesiastica vanus videretur. Saltem de officiis fundamentalibus, pro exercitio potestatis legislativae, iudiciae et administrativae elenches minimus stabilietur et dicatur haec officia nonnisi per legem, et non per decretum, institui posse, ne tota Ecclesiae organisatio subvertatur.

Replicat Rev.mus Secretarius Ad. impossibile esse omnes potestatis administrativae actus praevidere.

Animadvertisit Ill.mus sextus Consultor in can. 2 § 2 aliquam adesse

tautologiam, quia provisio et collatio sunt synonima; in canone sequenti enim dicitur « Provisio .... fit aut... aut... ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut itsa § 2 supprimatur tamquam non necessaria.

Placet aliis.

Ut labores ordinate procedant, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut canones de beneficiorum constitutione seu erectione, inde a canone 1414 CIC, legantur, habitis pree oculis iis quae in superiore disceptatione iam dicta sunt. Attamen, sermo non erit de mediis materialibus ad officium exercendum requisitis, de quibus in alio Coetu tractatur.

Notat Rev.mus primus Consultor in titulo de officiis clare dicendum esse de officiorum fundamentalium erectione, suppressione necnon de variis modificationis modis.

Quoad § 1 can. 1414, omnes convenient ut supprimatur.

Etiam § 2 supprimi potest, quia dictum est ubi de dioecesanis Episcopis actum est et in can. 12 textus recogniti de officiis ecclesiasticis.

Ill.mus quintus Consultor notat in can. 12 de collatione agi, dum in can. 1414 § 2 de erectione, quod idem non est, ideoque, melius est ut norma inseratur in textu de Episcopis, a Coetu de Sacra Hierarchia parato.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit in textu can. 13 de Episcopis dioecesanis a Coetu de Sacra Hierarchia parato implicite constituendi officia possibilitatem contineri.

Hoc non sufficere, tenet Rev.mus primus Consultor. In titulo enim de officiis principium enuntiare oportet de ordinaria competencia Summi Pontificis, sicut in titulo de beneficiis in Codice, necnon Episcoporum, uti in titulo de officiis in Codice.

Ad systematicam quod attinet, Ill.mus secundus Consultor tenet sermonem de competencia Romani Pontificis et de Episcopis dioecesanis fieri posse ubi de officiis agitur.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit can. 12 de officiis tantum liberam officii collationem spectare. Nihil de collatione necessaria dicitur.

Rev.mus Secretarius Ad. ideam exprimit in novo canone inserendam, quae sic sonat: « officiorum ecclesiasticorum erectio et provisio quae iure Summo Pontifici non reservantur, aut alii auctoritati et quae ad se non advocaverit Romanus Pontifex... ».

Instat Rev.mus primus Consultor ut clare sequentia principia enuntiantur: 1) competencia ordinaria Summi Pontificis; 2) competencia ordinaria Episcopi dioecesani; 3) potestas advocandi ex parte Summi Pontificis. Quaestio de aliis auctoritatibus praeter illam Summi Pontificis melius in locis specialibus tractatur. Competencia ordinaria, enim, non est reservatio; dum reservatio semper alterius competentiam supponit. In Codi-

ce aliqua adest confusio inter competentiam ordinariam et reservationem.

Ill.mus sextus Consultor ad quaestionem quod attinet de loco ubi inserenda est materia de competentia circa officiorum provisionem, tenet competentiam tractari debere ubi sermo fit de unoquoque subiecto Hierarchyae.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum, uti normam provisoriam, proponit:

Can. 2 § 1. Summi Pontificis est erigere necnon conferre officia quorum erectio aut provisio iure ipsi competit, aut quorum erectionem aut provisionem in casu particulari ad se advocaverit.

§ 2. Episcopi dioecesani, non vero Vicarii Generalis nec Vicarii Episcopalis sine speciali mandato, est erigere et conferre officia, quorum erection et collatio alii auctorati non competit, vi sive praescripti iuris sive ad vocationis a suprema auctoritate.

Placet textus canonis.

Rev.mus quartus Consultor mallet ut separatio praevideatur inter «erigere» et «conferre», ita ut dicatur prius tantum de erectione, modificatione, innovatione et suppressione et postea de provisione seu collatione.

Ill.mus sextus Consultor notat separationem magis convenientem in se esse, etsi hoc obligaret ad redactionem duorum canonum iisdem verbis pro diversis materiis.

Rev.mus primus Consultor tenet, cum de competentia agatur, in uno eodemque canone sermo institui posse de erectione, modificatione, innovatione, suppressione et tandem de provisione.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. magis logicum esse de provisione post can. 3 sermonem instituere.

Rev.mus tertius Consultor praeferret ut in can. 3 bis diceretur normas in can. 2 contentas etiam ad provisionem applicari.

Praefert insuper ut loco «erigere» (modo loquendi de beneficiis magis proprium) dicatur «instituere» (utpote magis congruum ad nomenclatram de officiis).

Sententiam Rev.mi tertii Consultoris negat Rev.mus Secretarius Ad., quia modus loquendi magis rectus, cum de officiis agitur, est creatio seu erectio officii.

Omnis conveniunt ut § 3 can. 1414 supprimatur, quia in novo canone materia tractatur. Itemque § 4 eiusdem canonis cadit.

\* \* \*

Ad § 2 can. 4 textus recogniti (CIC 149 et 153) quod attinet, Ill.mus

sextus Consultor tenet sufficere candidatum praeditum esse qualitatibus a iure requisitis et verba « magis idoneus » nihil prorsus dicere.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. difficile esse uti verbis « omni acceptione personarum seclusa » si non dicitur « magis idoneus ».

Iuxta sententiam Rev.mi quarti Consultoris expressio manere debet pro parochorum nominatione in casu paroeciarum liberae collationis, cum iudicium de idoneitate pro illo determinato officio requiratur.

In fine, tamen, disceptationis omnes Consultores conveniunt ut hoc in loco adverbium « magis » deleatur.

#### *Canon 1415 CIC*

§ 1: Rev.mus Secretarius Ad. tenet ideam tantum exprimendam esse de obligatione ex parte eius qui officium erigit media providendi ad officii exercitium, secluso sermone de modis practicis media providendi. Et sequentem textum proponit:

« Qui officium erigit, debet providere ut media praesto sint necessaria ut officium adimpleri possit, utque sustentationi prospiciatur eorum qui officio funguntur ».

Ill.mus quintus Consultor vellet ut de digna sustentatione sermo fieret, quia officium adimpleri valet « etiamsi officialis parum comedit ».

Rev.mus primus Consultor tenet etiam indicandum esse modum sustentationis et non tantum principium statuendum. Hoc etiam, si normae de eadem ab Episcoporum Conferentiis dari debent ut uniformitas in aliquo territorio habeatur.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut loco « providere » dicatur « praevidere ».

Ad 2 §: Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit: « Nisi aliud iure statuatur, Episcoporum Conferentiae regionis est normas statuere quibus provideatur ut praescriptis § 1 satisfiat ».

Rev.mus tertius Consultor notat hac cum formula Romani Pontificis est omnibus Episcopis providere. Sed, notat Rev.mus primus Consultor pro Episcopis normas peculiares adesse.

#### *Canon 1416 CIC*

Placet omnibus, ad propositionem Rev.mi primi Consultoris ut, ad officia quod attinet, nihil dicatur de hoc uti norma generalis sed ad loca specialia remittatur.

#### *Canon 1417 CIC*

Canon tantum beneficia respicit, ideoque ubi de fundatione sermo est haec dicenda sunt. Ad Coetum de bonis temporalibus res pertinet.

*Canon 1418 CIC*

Canon transferendus est ubi, in canonibus generalibus, de erectione sermo est.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit officii erectionem, innovationem et suppressionem semper per legitimum instrumentum fieri debere. Itemque per instrumentum sedes, iura necnon onera officii et officialis determinari debent. Hoc etiam ad officia fundamentalia quod attinet, cum saepe quae in iure universalis dicuntur non sufficiant.

Notat tamen Rev.mus tertius Consultor omnia a Rev.mo primo Consultore proposita in can. 1 § 2 (can. 145 CIC) de officiis iam haberi.

Rev.mus primus Consultor dicit constitutionem officii certae speciei sive per legem sive per decretum haberi. Erectio tamen a constitutione officii distinguitur ideoque onera iuraque specialia, praeter generalia, per instrumentum determinari deberent.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad., distinctionem a Rev.mo primo Consultore factam negans, quia officium, quod in lege constitutum est, legi erigitur; et in lege conditiones generales indicantur; neque decreta sunt multiplicanda sine necessitate.

Ill.mus quintus Consultor adiungit non pertinere ad officium legis determinare, quae facile per interpretationem intendi possunt.

Instat Rev.mus primus Consultor ex eo quod sermo instituitur de erectione, innovatione necnon officiorum suppressione, nulla facta mentione de modo quo officium erigitur, innovatur et supprimitur.

Quaedam dicere de istis figuris iuridicis necesse est, tenet idem Rev.mus D.nus.

Ill.mus secundus Consultor notat omnia per decretum fieri posse et notionem decreti non satis elaboratam esse.

Ill.mus sextus Consultor proponit ut quaestio derelinquatur. Omnes alii consentiunt, excepto Rev.mo primo Consultore. Ill.mus secundus Consultor adhuc notat rem melius evolvi ubi de actibus administrativis sermo est, cui tamen contradicit Rev.mus primus Consultor, quia res tractari debet ubi de officiis vel de circumscriptionibus ecclesiasticis agitur, cum de communitatum distributione agatur.

Pro nunc tamen cadit canon 1418.

*Canon 1419 CIC*

Textus systematis beneficialis complexitatem effingit — notat Ill.mus sextus Consultor —, et in iure omnis definitio est periculosa.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit in decreto indicari modum unionis faciendae, dum formae in diversis nationibus differre valent.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet distinctiones, quae in textu habentur, amplius non sustineri ad communitates et officia quod attinet. Poterunt, forsitan, pro beneficiis servari.

Post disceptationem omnes concordant de canonis suppressione.

*Canon 1420 CIC*

Supprimi potest, quia in novo systemate amplius non intelligitur. Quaestio est aequitatis quae ad officium non pertinet; nam, quod dismembratur est communitas et non officium (Secretarius Ad). Nec ceterum omnes casus praevideri possunt (quintus Consultor).

*Canon 1421 CIC*

Nihil de applicandis ad officia canon habet.

*Canon 1422 CIC*

Nihil de officiis habet.

*Canon 1423 CIC*

Nihil de officiis habet.

Rev.mus tertius Consultor notat nos iuri condendo vacare et istos canones iam ad historiam pertinere. Et Ill.mus secundus Consultor animadvertisit hos canones ius mediaevale, privatum etc. sapere.

\* \* \*

Rev.mus Secretarius Ad. in mentem recolit alias remanere quaestiones ad officia spectantes, nempe: quid de bonis temporalibus deque foundationibus faciendum sit in casu divisionis, dismembrationis, unionis et suppressionis communictatum ecclesiasticarum. Res potius ad Coetum de bonis temporalibus videtur pertinere. Tamen proponit ut aliqui canones de hac materia redigantur. Retinet insuper ut sufficiat dicere in casu divisionis, unionis etc. auctoritatem curare debere ut bona, quae ad communictatem, de qua est sermo, pertinent, secundum aequitatem vel proportionalitatem distribuantur vel dividantur.

Rev.mus primus Consultor recolit agendum adhuc etiam esse de presentatione que tractata non fuit ubi actum est de officii provisione.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de hoc in fine Sessionis agendum esse.

Ample disceptatur de quaestione a Rev.mo Secretario Ad. introducta. Finita disceptatione, omnes conveniunt ut aliqui canones proponantur, quia: a) res intime conlectitur cum materia de officiis; b) Coetus de bonis temporalibus consulto de his rebus non tractavit.

Ideoque Rev.mus Secretarius Ad. quaestionis statum explicat et reassumit.

Rev.mus Relator tres dari hypotheses animadvertisit:

1) coniunctio duarum communitatum, quae personalitate iuridica gaudent, ita ut iisdem una efformetur; ipsa bona ad novam pertinent quae etiam gravatur oneribus fundationibusque quae antea diversis communitatibus erant propria et debent servari ad finem voluntate fundatoris definitum;

2) ex una duae vel plures creantur communitates et bona, quae ad personam iuridicam dividendam pertinent, sunt etiam dividenda secundum proportionem vel christifidelium vel paroeciarum, vel secundum numerum sacerdotum; et insimul considerari debent bona quae in una vel alia parte inveniuntur (primus Consultor);

Ill.mi sextus et quintus Consultores animadvertisunt regulas ad divisionem quod attinet distincte definiri non posse. Supprimendum est, iuxta eosdem, criterium quod ad numerum fidelium sese refert. Sufficit ut criterium generale indicetur: divisio bonorum facienda est ex bono et aequo, salva piorum fundatorum voluntate expressa vel praesumpta. Agendum est tantum de fundationibus fiduciariis, quia fundationes quae propriam habent figuram iuridicam non dividuntur (Secretarius Ad.).

3) Quando aliqua communitatis pars, quae personalitate iuridica gaudet, detrahitur et alii unitur — casus dismembrationis et divisionis —, ad bona quod attinet criterium adhibeat proportionalitatis.

Plus minusve novus textus illum canonis 1500 Codicis sequi debet.

Rev.mus Secretarius Ad. textum aliquorum canonum proponit, qui disceptationi submittitur.

*Canon 1 (qui fit can. 9 de personis iuridicis)*

Coniunctis communitatibus, personalitate iuridica publica gaudentibus, ita ut ex iisdem una constituatur communitas, personalitate quidem iuridica pollens, altera haec persona iuridica bona obtinet iuraque patrimonialia prioribus propria atque onera suscipit quibus eadem gravabantur, salva, ad destinationem bonorum necnon onerum adimpletionem quod attinet, fundatorum oblatorumque voluntate.

In isto canone de casu communitatum unionis agitur, quae personalitate iuridica publica gaudent; si non publica, regitur statutis.

Rev.mus tertius Consultor praefert ut dicatur «coniunctis personis iuridicis publicis» ita ut etiam fundationes comprehendantur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quae coniunguntur esse communites et non personae. Non est sermo de foundationibus quia de bonis agitur.

Ill.mus Secundus Consultor quaerit quid ergo de fundationibus erit. Fundatio enim non est persona iuridica, sed illi adnexa. Sed, quid acciderit in casu personae iuridicae non collegiali, uti sunt patrimonia quae personalitate gaudent?

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in novo iure sermonem esse de communitate personarum et de communitatibus rerum et non amplius de personis collegialibus et non collegialibus. Substratum enim personae non est territorium, sicut antea in Codice, sed communitas, ideoque sermo institui debet de communitatis unione.

Rev.mo primo Consultori placent canones a Rev.mo Secretario Ad. propositi; attamen, iuxta eiusdem sententiam, si inserantur ubi de circumscriptione ecclesiastica agitur, omnia recte dicta sunt; si, e contra, ubi de personis iuridicis, aliam sic dictam dimensionem sumere debent; nam, etiam personam, quae ex rerum universitate coalescit, respiciunt.

Rev.mus quartus Consultor vellet ut mentio fieret etiam de omnibus quae ad novam personam seu communitatem ex unione transferuntur.

Ill.mus sextus Consultor notat personas iuridicas publicas et privatas adesse, tamen personalitatis notionem abstractam esse. Verba «personalitate iuridica gaudere» et «personam iuridicam esse» eandem realitatem non exprimunt.

Iuxta sententiam Ill.mi quinti Consultoris, verbum «onera» omnes comprehendit obligationes, ideoque e textu expungi possunt verba «ad destinationem bonorum necnon onerum adimptionem».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur «ad destinationem *praesertim* bonorum».

Ill.mus quintus Consultor tenet hanc additionem non nocere, sed non esse necessariam.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit insuper ut post «communitatis» adiungatur «sive rerum, sive personarum».

Ill.mus secundus Consultor proponit ut in fine canonis adiungantur verba «attenta etiam ratione coniunctis». Propositio non placet.

Post disceptationem, mutationibus inductis, textus canonis sequens est:

«Coniunctis universitatibus, sive personarum sive rerum, quae personae iuridicae sunt publicae, ita ... constituatur universitas, ... ad destinationem *praesertim* bonorum ... voluntate».

Placet.

Rev.mus Secretarias Ad. tenet hos canones inseri posse vel ubi de bonis Ecclesiae temporalibus, vel ubi de circumscriptionibus ecclesiasticis, vel tandem ubi de personis iuridicis agitur post can. 8; quae ultima indicatio perplacet aliis. Ideoque isti tres canones fiunt cann. 9, 10 et 11 *de personis iuridicis*.

*Canon 2* (qui fit 10 de personis iuridicis).

Divisa communitate, quae personalitate iuridica publica gaudet, ita ut aut illius pars alii personae iuridicae publicae uniatur, aut distincta persona iuridica publica ex parte dismembrata erigatur, auctoritatis ecclesiasticae cui divisio competit est, servatis quidem p[ro]ae aliis fundatorum ac oblatorum voluntate, iuribus quaesitis, necnon statutis probatis, curare per se aut per alium, scilicet executorem:

1° ut communia quae dividi valent bona atque iura patrimonialia necnon aes alienum aliaque onera inter personas iuridicas de quibus agitur debita cum proportione ex aequo et bono dividantur, ratione habita omnium adiunctorum et necessitatum utriusque;

2° ut communium, quae divisioni obnoxia non sunt, bonorum usus et fructus utrique personae iuridicae cedant, servata item debita proportione ex aequo et bono definienda.

Ratione observationis Ill.mi sexti Consultoris superius indicatae, initium canonis hoc est: «Divisa universitate, quae persona iuridica est publica, ita ...».

Rev.mus primus Consultor observat in bonis non divisibilibus proprietatem bonorum priori personae remanere, dum usus et fructus communes sunt etiam alteri. Negat tamen Rev.mus Secretarius Ad., qui tenet dominium esse utriusque. Ceterum, ut observat Ill.mus sextus Consultor, non tantum fructuum sed etiam onerum adest divisio.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in n. 2 verbum «bonorum» post «communium» ponatur.

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut in n. 2, post «cedant», dicatur «oneraque iisdem propria utrique incumbant».

Placet canon cum emendationibus inductis.

*Canon 3* (qui fit 11 de personis iuridicis)

Extincta persona iuridica publica, eiusdem bona iuraque patrimonialia itemque onera obveniant personae iuridicae immediate superiori quae eundem aut similem persequitur finem, salvis semper fundatorum vel oblatorum voluntate, iuribus legitime quaesitis necnon statutis quibus extincta persona iuridica regebatur.

Rev.mus primus Consultor notat nimis indeterminatam esse locutionem «immediate superiori». Dicendi modus, qui in canone utitur, si de personarum universitate agitur, valet; e contra, si de rerum universitate agitur, amplius superioritatis linea non datur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. revera rem difficilis esse determinationis, sicque alio modo eandem rem enuntiare.

Adsentit Rev.mus primus Consultor, cui placet ut textus prouti est maneat.

Placet omnibus.

Rev.mus quartus Consultor sequentem movet quaestionem: quae nam sint personae quae bona administrare debent cum persona iuridica desinit esse de facto et per certum annorum spatium adhuc iuridice vivit, id est cum persona iuridica iam non est extincta sed nullum adest membrum quod curare possit administrationem.

Rev.mus primus Consultor tenet, si id necessitas postulat, auctoritatem competentem curatorem vel commissarium nominare debere. Tamen, huius quaestione locus proprius est ubi de bonis temporalibus sermo fit, quia de sola administratione agitur.

Rev.mus Secretarius Ad. notat aliquid in can. 8 de personis iuridicis contineri.

Rev.mus quartus Consultor non insistit cum potius de quaestione technica agatur.

\* \* \*

Post haec, ad reconsiderationem aliquorum canonum generalium *de officiis ecclesiasticis* transitus fit. Canon, uti can. 2, propositus ita sonat:

### *Canon 2*

§ 1. Summi Pontificis est erigere necnon conferre officia quorum erectio aut collatio ipso iure ipsi competunt, aut quorum erectionem aut collationem in casu particulari ad se advocaverit.

§ 2. Episcopi dioecesani, non vero Vicarii Generalis nec Vicarii Episcopalis sine speciali mandato, est erigere et conferre officia, quorum erectio et collatio alii auctoritati non competit, vi praescripti iuris sive advocacyis a suprema auctoritate.

§ 1. Rev.mo Secretario Ad. non placet haec paragraphus. Rectum, enim, non est dicere Papae competere quae a iure praevidentur, quia Illi competit simpliciter omnia nova officia ad bonum Ecclesiae erigere, quin in iure praevideatur vel ad se advocaverit.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit erectionem, innovationem et suppressionem tantum officiis praesidialibus convenire.

Caetera officia peculiaria, iuxta novum officii conceptum a Concilio Oecumenico inductum, erectione non indigent, ex eo quod constituantur et non eriguntur.

Instat Rev.mus Secretarius Ad. ut textus supprimatur. Distinctio inter officia praesidialia et non-praesidialia quaestionem minime solvit.

Rev.mus primus Consultor convenit de supprimendo textu, cum in ipso locum non inveniat distinctio a se proposita. Idem Rev.mus D.nus dicit se non dolere si sistema supprimitur beneficiale; attamen notat quaestionem exsurgere de officii obiectiva stabilitate quae usque adhuc in officii figura aderat. Officium est semper constans seu perseverans, dum titulares eiusdem veniunt et abeunt. Stabilitas provenit ex officiis praesidialibus vel fundamentalibus quae Ecclesiae structuram faciunt. Officia sunt media technica organisationis et primum locum tenent officia quibus structura Ecclesiae efficitur.

Tandem aliquando ad suffragationem pervenitur, cuius exitus sequens est: Supprimi potest: Rev.mi Secretarius Ad. et tertius Consultor; Non est necessarius; Rev.mus quartus et Ill.mi quintus, sextus et secundus Consultores. Qui ultimus adiungit fortasse utile esse loco « iure » dicere « ad gubernium Ecclesiae universalis », quia Romanus Pontifex in officiorum creatione nequit ligari, tantum rem more iuridico facere tenetur.

Rev.mus primus Consultor etiam tenet supprimi posse duabus ex rationibus: I) erectio, innovatio et suppressio tantum officia praesidialia seu fundamentalia respiciunt; II) textus ut iacet nihil est nisi tautologia.

Textus, igitur, supprimitur.

§ 2. Ill.mus secundus Consultor tenet textum servari posse, tamen non clare videt Episcopum de facto omnia officia erigere posse. Nos conanmur distinctionem inter functiones facere, ideoque dari potest casus in quo aliquod officium etiam a Vicario Generali erigi possit. Insuper animadvertendum est querelas semper Episcopi auctoritatem laedere. Episcopus ius nativum utique habet, sed organisationis ratione forsitan oportet non omnia per se semper faceret.

Rev.mus Secretarius Ad. notat hic agi de praesumptione stabilienda quoad Episcopum.

Res suffragationi submittitur: Rev.mus primus Consultor tenet textum servari posse, attamen difficultas permanet. Quoad quaestionem de erectione, ea quae superius adnotavit repetit. Adiungit insuper claram distinctionem non haberi inter stabilitatem obiectivam et officia quae ex lege ordinantur. Concilii definitio quoad officium tantum stabilitatem subjectivam respicit.

De sententia Rev.morum Secretarii Ad., tertii et quarti, necnon Ill.morum quarti, sexti et secundi Consultorum textus potest servari. Ideoque textus manet.

Ill.mus sextus Consultor suggerit ut textus transferatur ubi de Episcopis agitur. Est tantum quaestio de loco.

Omnes conveniunt ut textus transferatur ubi *de Episcopis dioecesanis* deque eorum munere regendi sermo est.

### *Canon 3*

Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

Placet.

### *Canon 4*

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praeesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem datam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Placet.

### *Canon 5*

Auctoritati, cuius est ad normam can. 2 officia erigere, innovare et supprimere, eorundem provisio quoque competit, nisi aliud iure statuatur.

Placet, demptis verbis «ad normam can. 2».

### *Canon 6 (CIC 14-15).*

§ 1. Qui officium erigit, providere debet ut praesto sint media ad eiusdem adimplementum necessaria utque prospiciatur honestae sustentationi vel retributioni eorum qui officio funguntur.

§ 2. Nisi aliud iure statuatur, Episcoporum Conferentiae regionis est normas statuere quibus praescripta § 1 ad effectum deducantur.

Rev.mo primo Consultori placet textus, tamen idem Rev.mus D.nus praeferret ut textus ante cap. I (de provisione officii ecclesiastici), uti can. 2, ponatur.

Ill.mus secundus Consultor praeferret ut initium sic sonaret «Antequam officium erigatur...», tamen, prius quam aliquod officium erigatur,

bene perpendenda sunt rationes de eius utilitate ad officiorum proliferationem vitandam, vel saltem continendam.

Rev.mus quartus Consultor loco « providere », in § 1, praefert ut dicatur « Praevidere », quia sufficit media esse in spe fundata adfutura.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit in duabus paragraphis istius canonis idem verbum « providere » et « provisio » diverso sensu sumi.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in § 1, loco « providere », dicatur « curare ».

Textus placet cum emendatione superius indicata et transfertur in partem generalem uti can. 2.

\* \* \*

Canonibus de officiis consideratis et emendatis, quaestio *de ordine systematico canonum Lib. 1* incipitur, qui normas generales complectitur, necnon canonum qui a Coetu « De personis physicis et iuridicis » confecti sunt.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem introducit: agitur nempe de materiae distributione, quae in « normis generalibus » necnon « de personis in genere » invenitur. Coniungendi sunt in uno Libro canones de personis in genere, de actibus iuridicis, de officiis ecclesiasticis, qui quidem omnes normas generales continent.

Omnia quae hucusque acta sunt in librum unicum possunt inseri. Ita ex. gr. canones de legibus et de consuetudine in titulo de fontibus legis; item canones de ordinibus et statutis, etsi non proprie sunt fontes iuris. Sunt insuper normae generales, illae quae respiciunt potestatis regiminis exercitium, sicut et illae quae se referunt ad personas, ad elementa quibus capacitas iuris exercitii determinatur. Denique normae generales sunt etiam illae quae in genere de officiis ecclesiasticis agunt.

Agitur imprimis, notat Rev.mus Secretarius Ad., de exprimendis et colligendis ideis circa materiam supradictam.

Contra ea quae Rev.mus primus Consultor in suo voto scripto (d. 26/10/72) prompsit, Rev.mus Secretarius Ad. sustinet praesentem Coetum mutare non posse ea quae ab alio Coetu latissime disceptata sunt ideoque de singulorum canonum tenore sermo non erit, sed tantum de ordine systematico, id est de ordine componendo inter canones iam paratos.

Uti basim disceptionis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem ordinem proponit:

## LIBER I DE NORMIS GENERALIBUS

Tit. 1 - *De fontibus iuris*

Cap. I. *De legibus*

Cap. II. *De consuetudine*

Tit. 2 - *De quibusdam actis praesertim administrativis*

Cap. I. *De paeceptis*

Cap. II. *De instructionibus et decretis*

Cap. III. *De rescriptis*

Cap. IV. *De privilegiis*

Cap. V. *De dispensationibus*

Cap. VI. *De statutis et ordinibus*

Tit. 3 - *De potestatis regiminis exercitio*

Tit. 4 - *De temporis supputatione*

Tit. 5 - *De personis physicis*

Tit. 6 - *De personis iuridicis*

Tit. 7 - *De actibus iuridicis*

Tit. 8 - *De officiis ecclesiasticis*

Ill.mus secundus Consultor circa tit. 1 et titulos 5-6 nullam habet difficultatem; circa temporis supputationem nescit quid dicendum. Difficultas, e contra, oritur quoad tit. 2, ubi normae adsunt quae personam singulariter sumptam respiciunt. Proponit ut post tit. 1 ponantur tituli 3 et 5, qui formas continent quibus mediantibus participatur potestas. Organisatio est Ecclesiae a qua potestas provenit in suo exercitio; ideoque prius Ecclesiae potestas ponatur ed dein quomodo Ecclesia organisatur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. ideam Ill.mi secundi Consultoris nimis theoreticam esse. Idem sentit Ill.mus quintus Consultor qui ex adverso tenet potestatem centrum non esse Ecclesiae; secus deberemus eam ponere ante ipsum titulum de legibus, praecise quia leges sunt Ecclesiae potestatis emanationes. Sed Codex non est doctrinae tractatus.

Ill.mus secundus Consultor insistit pro distinctione potestatis ab actibus administrativis. Ceterum possibilitas recursus est adspectus maioris incidentiae.

Replicat Ill.mus quintus Consultor propter traditionem a fontibus iuris incipere debere. Actus administrativi poni possunt sive post sive ante canones de potestatis exercitio.

Ordo logicus absolutus non est possibilis: Codex ad usum practicum et ex temporum necessitatibus compositus est et componitur. Ceterum philosophiae iuris consequentias definire nequimus.

Notat Rev.mus quartus Consultor multa a Libro II pendere. Nam si in Libro II de Populo Dei agitur — ubi hodie de personis — aliquae normae Libri I in II transferentur. Ipse tenet post personas physicas et iuridicas (tit. 5-6) loquendum esse de officiis ecclesiasticis; denique de distinctionibus inter administrativos actus.

Rev.mus tertius Consultor animadvertis potestatis regiminis exercitium potius actum personae respicere.

Rev.mo primo Consultori non placet ut hic titulus inseratur de officiis ecclesiasticis, quia ad Ecclesiae organisationem pertinet, ideoque ad Librum II transferendus est.

Initium sumendum est a fundamento normativo, ideoque a legibus, quas sequuntur consuetudines et coeteri actus — uti ex. gr. instructiones, decreta, praecetta — qui normas constituunt iuridicas. Ideoque ordo esse poterit: prius de normis iuridicis vel iuris; postea de personis physicis — de personis iuridicis — de actibus iuridicis; dein de potestatis regiminis exercitio — de actibus executivis in negotiis particularibus; denique de temporis supputatione.

Ill.mus secundus Consultor notat in hac materia quaestionem dari circa distinctionem faciendam inter administrativos actus, qui characterem normae prae se ferunt, et actus singulos.

Ill.mus quintus Consultor animadvertis de se non posse vocari decreatum quod characterem legis habet.

Tamen, observat Rev.mus Secretarius Ad., de facto quae a Concilio Oecumenico dantur decreta in materia disciplinari sunt leges, licet leges non vocentur. Distinguenda sunt materia et forma, qua materia datur.

Et etiam considerandum est — uti animadvertis Rev.mus primus Consultor — vocem «decretum» esse amplissimae significationis.

Ill.mus quintus Consultor adnonat in casu decreti generalis, in can. 2 a Coetu «de normis generalibus» parato, remissio fieri ad canones de legibus.

Rev.mus Secretarius Ad. ideas hucusque prolatas colligit: prae aliis omnes conveniunt ut Titulus 1 sit de iuris fontibus, cum cap. I de legibus et cap. II de consuetudine.

Propositioni Rev.mi primi Consultoris, qui petit ut Titulus de officiis ecclesiasticis transferatur ad Librum II utpote media technica continens organisationis ecclesiasticae, respondet Rev.mus Secretarius Ad., hoc criterium si adhibeat, etiam Titulum de legibus transferri debere ad Librum II, quia etiam leges sunt media organisationis ecclesiasticae. In fine

disceptationis tamen omnes conveniunt ut Titulus de officiis in Libro I ponatur.

Ad ordinem quod attinet in Libro I servandum haec quae sequuntur adnotanda sunt.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit num non expediat prius loqui de potestatis regiminis exercitio et postea de quibusdam actibus... etc.

Ill.mus secundus Consultor tenet determinadum non esse ordinem rerum dicendarum antequam quae in canonibus continentur videantur.

Ill.mus sextus Consultor adnotat Librum I titulorum seriem non bene ordinatam complecti posse; tamen in normis generalibus inserenda sunt omnia quae principiorum characterem habent.

Ill.mus quintus Consultor tenet actus administrativos et personarum actus, cum formae et materiae sint differentes, uniri non posse. Primi enim actus sunt auctoritatis, ultimi vero privatorum. Notat tamen solutionem perfectam non dari.

Rev.mus quartus et tertius Consultores preeferentiam non habent circa ordinem rerum dicendarum.

Rev.mus primus Consultor votum de hac materia dedit et ab illo recedere non intendit; quapropter de eius sententia, post consuetudines tractari debet de aliis normis iuridicis, uti ex. gr. de decreto generali, de instructionibus (quae, natura sua, characterem habent exexecutivum — notat Rev.mus Secretarius Ad. —, dum Rev.mus primus Consultor insistit instructionem esse normam pro subiectis et negotium in concretis ordinare). Post titulum de normis iuridicis ponendi sunt tituli: de personis physicis et iuridicis (de personis deque eorum actibus); de actibus iuridicis; de actibus administrativis particularibus, de potestatis regiminis exercitio; de officiis ecclesiasticis et denique de temporis supputatione et de praescriptione.

Non consentit Rev.mus Secretarius Ad., qui tenet leges diversae indolis esse ab aliis actibus, qui natura sua characterem administrativum habent et retinent. Ex. gr. de decreto generali hic tractandum esset, nempe in titulo de legibus necnon in titulo de actibus administrativis. Non consentit insuper cum iis quae in pag. 1 voti Rev.mi primi Consultoris scripta sunt, nempe legem semper et exclusive vocari legem. Notat rem aliter se habere ratione facti et traditionis in Ecclesiae vita. Ex. gr. in Concilio Oecumenico Vaticano II, sicut antea recoluit, exarata sunt multa decreta, quae sunt vere et proprie leges. Ceterum Conciliorum decisiones semper decreta vocatae sunt, et ius, sicut politica, ars est rerum possibilium.

Ill.mo quinto Consultori placeret ut legis formae antiquo modo proponeantur.

Ill.mus sextus Consultor preefert ut initium sumatur ab elemento

quod est normae proprium et non a potestare quae legem fert. Hoc modo, ex. gr., instructio sub titulo de legibus locum obtineri valet. Omnia illa possunt sub titulo de fontibus legis uniri, uti actus iuris creativi, sive respectu ad potestatem legislativam vel administrativam.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut titulus I inscribatur « de fontibus iuris deque actibus quibus iuris applicationi prospicitur », exclusis, uti plenum est, actibus iudicariis.

Ad instantiam Ill.mi sexti Consultoris sermo fit in titulo supra citato de applicatione et non de execuzione, quia verbum exsecutio magis ius processuale sapit.

Rev.mus primus Consultor instat ut admittatur conceptus formalis legis, et ut affirmetur distinctio functionum auctoritatis. Etiam codificatores Codicis eundem habuerunt finem et in M.P. Codicis introductivo (*Cum iuris Canonici*) expresse dicitur, ex. gr. S.R. Congregationes decreta generalia iam nunc ne ferant. Codex unicus legis fons pro Ecclesia latina debet esse. Tamen haec norma in praxi deducta non fuit et ex hoc maxima incertitudo iuridica pendet praesertim post Concilium Vaticanum II. Organa Ecclesiae administrativa necnon iudicaria legibus ligantur et S.R. Congregationes nequeunt decreta generalia, nisi ex delegatione Legislatoris, edere. Non sufficit id quod in can. 3 de decretis dicitur, quia lex nisi per legem mutari potest et debet.

Rev.mus Secretarius Ad. praeter inscriptionem tituli I, superius indicatam, haec quae sequuntur proponit: titulus II de potestatis regiminis exercitio; titulus III de personis: caput I de personis physicis, caput II de personis iuridicis; titulus IV de actibus iuridicis; titulus V de officiis ecclesiasticis; titulus VI de temporis supputatione.

Propositio placet.

Quoad subdivisionem tituli de fontibus juris deque actibus, quibus iuris applicationi prospicitur (vel: « qui ad iuris applicationem pertinent »; magis haec formula placet), haec a Rev.mo Secretario Ad. proponuntur: caput I de legibus; caput II de consuetudine; caput III de decretis et instructionibus, caput IV de praceptis (praecpta singularia actus sunt administrativi; praecpta communia decreta sunt generalia); caput V de statutis et ordinibus.

De rescriptis et dispensationibus haec Rev.mus Relator proponit: caput VI de rescriptis; caput VII de privilegiis (norma singularis creans ius obiectivum); caput VIII de dispensationibus (non est legis applicatio, sed difficile est alibi inserere).

Placet.

Rev.mus primus Consultor notat adhuc quaestionem remanere de distinctione inter potestatem executivam gratiosam seu voluntariam et

coercentem seu contentiosam. Distinctio non est neque completa, neque adaequata, quia non omnium comprehensiva actuum administrativorum seu exexecutivorum.

Ideoque, adiungit Rev.mus primus Consultor, multi canones de rescriptis restringendi sunt, quia ibi saepe non agitur de gratia, uti in casu de actibus, qui organisationem Ecclesiae respiciunt (erectio paroeciae vel dioecesis); qui non tantum volentes et petentes respiciunt.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de decreto particulari agi; tamen, omnes alii actus exexecutivi illa distinctione quodammodo comprehenduntur.

Rev.mus primus Consultor adiungit in officii provisione eiusdem collationem ad potestatem gratiosam pertinere. Non appetat tamen ratio gratiae si, ex.gr., invito datur. Quaestio igitur est ponenda utrum quaedam normae quae de rescriptis habentur non omnes actus administrativos respiciant.

Ill.mus quintus Consultor observat difficultatem limitari si verbum « *gratia* » sensu iuridico et non communi sumitur: scilicet est actus gratiae omnis actus qui non datur per viam contentiosam. Gratia est quae conceditur illi qui saltem aliquod ius habet. Canones de rescriptis in titulo proprio servi debent.

Ill.mus secundus Consultor distinguendos esse actus administrativos, qui ponuntur precibus non mediantibus, uti actus organisationis. Iuxta ordinem exaratum omnes canones ponantur, et si lacuna aderit, videbitur postea.

Insuper videndum est si in canonibus de rescriptis, quae characterem generalem prae se ferunt, aliqui sint qui omnes actus individuales respiciunt, id est actus iuridicos personam in concreto respicientes.

Ill.mus sextus Consultor proponit ut sermo instituatur de actibus « *discretionalibus* » ex parte competentis auctoritatis positivis; ita ut haberemus actus legislativos, actus regulamentares generales, et actus personales discretionales.

Hoc modo, tamen, dicit ipse D.nus, tota terminologia traditionalis subverteretur ideoque melius est veterem terminologiam servare eamque modernae mentalitati applicare.

Ad quaestionis practicam solutionem, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut consideretur utrum aliquae, quae de rescriptis statuuntur, normae, valeant etiam pro aliis actibus administrativis individualibus vel discretionibus.

Sic explicit labor pro hac Sessione propositus.

\* \* \*

Aliquae quaestiones indicantur, de quibus tractatio erit in proximis Coetus Sessionibus, nempe:

- a) tractatio de actu administrativo individuali in iure canonico;
- b) aliquid de praesentatione in canonibus de officiis dicendum est.

Instat Rev.mus primus Consultor ut de praesentatione agatur cum in titulo de officiis nihil de eadem dictum sit. Praesentatio multa cum electione communia habet; tamen est modus provisionis per se stans. Praesentatio ius dicit ad provisionem. Canon vel canones debent insuper exprimere quomodo ius praesentationis exerceri valeat a collegio (ex. gr. per electionem), a singulis vel a pluribus personis quae collegium non sunt. Denique terminus specialis determinatur pro praesentatione sicut pro electione.

Notat Rev.mus Secretarius Ad. iam aliquid in normis generalibus de officiis collatione haberi, quod pro omnibus provisionis modis valet, ideoque etiam pro praesentatione.

Ill.mus sextus Consultor animadvertisit proportionem non adesse inter canonum numerum de libera collatione et de electione.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. electionis rationem magis complexfam esse quam modum liberae collationis. Ad ea quae Rev.mus primus Consultor protulit, Rev.mus Secretarius Ad. dicit aliquas regulas formulari posse: ex. gr. praesentatio non est intimanda praesentato; proviso, si fit per praesentationem, intra tres menses a notitia vacationis debet fieri; praesentatio debet fieri ad superiorem competentem pro provisione, quia debet eum intra tres menses instituere; legitimate praesentatus ius habet ad institutionem (idest: Superior tenetur eum instituere si est idoneus). Insuper considerari possunt casus praesentationis qui collegialiter exercetur et qui non collegialiter fit; denique: nemo potest praesentare seipsum; si quis plures praesentat, superior seligendi quem maluerit ex praesentatis facultatem habet.

Rev.mus tertius Consultor notat praesentationem valde raram esse et tantum aliquas regiones respicere. Huic sententiae consentit Rev.mus Secretarius Ad.

Rev.mus primus Consultor tenet praesentationem adhuc modum provisionis generalem esse, ex. gr., pro nominatione parochi religiosi. In Confederatione Helvetica — ipse affirmat — adhuc quam maxime ius prasentationis viget.

Aliquae propositiones ad canones de praesentatione redigendos enuntiantur. Melius est non dicere praesentationem ius ad rem gignere, quia si plures, ex.gr., praesentantur, nemo ius ad rem habet (sextus Consultor). Notat tamen Ill.mus quintus Consultor superiorem ligari ad instituendum aliquem ex praesentatione ideoque illos aliquo modo ius habere.

Debet insuper servari norma de praesentatione in canone 1465 § 1 contenta, cum temporis utilis indicatione (sextus Consultor). Si unicus praesentatur, dicatur tantum superiorem eum instituere debere, sine mentione de iure ad rem (Secretarius Ad.). Si plures insimul vel successive

praesentantur, Superior unum ex illis instituere debet; si non idoneus praesentatur, potest alius praesentari dummodo tempus sit utile; si superior idoneo praesentato institutionem denegat, instituendi ius ad eum qui immediate superior est devolvitur (primus Consultor).

Rev.mus Secretarius Ad. promittit pro proxima Coetus Sessione se tex-tum canonum de hac materia paraturum esse.

Rev.mus quartus Consultor quaerit num non expedit in ultimo titulo de officiis aliquid de possessionis captione dicere. Compertum tamen est hoc non de omnibus officiis dicendum esse.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit officii possessionis captionem systematis beneficialis residuum esse.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat simpliciter sufficere dicere « quis debet canonicam sui officii possessionem capere ».

Ill.mus sextus Consultor, ad can. 18 § 2 de electione quod attinet, notat dum alibi non admittitur votum in scriptis, hic illum modum admittitur scilicet ut ab aegroto in scriptis votum proferatur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. normam sustineri ad praesentiam electorum exigendam in suffragationis sede.

Ill.mus sextus Consultor adhuc pro titulo de electione, animadvertisit cann. 16 et 31 in unum redigi posse, quia valde similes, nisi aliqua ratio obstet.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. secundam partem can. 16 « quo termino inutiliter elapo... » posse supprimi, quia iam in can. 31 continetur.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit iuxta textum, si electus electionis renuntiaverit, adhuc mensem haberi utilem ad negotium electionis peragendum. Neque restringendum est tempus, observat Ill.mus quintus Consultor, quia temporis spatium trium mensium non est computandum ad electionem faciendam sed initiandam. Id est intra tres menses negotium electionis aperiri debet (sextus Consultor). Tantum in casu ex parte electi renuntiationis, habetur alter mensis ad negotium electionis peragendum.

Tandem aliquando post disceptationem, omnes convenient ut res sicuti est remaneat.

Hora 18,05, diei 17 novembris 1972, Coetus Sessio explicit.<sup>1</sup>

M. DE NICOLÒ  
*Adiutor a studiis*

<sup>1</sup> Textus canonum in fasciculo cuius titulus est: « *Canones approbati a Coetu de Personis physicis et iuridicis* » habetur, qui uti Appendix hic prostat.

## APPENDIX

### CANONES APPROBATI A COETU DE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS

#### DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO

##### *Canon 1 (CIC 196)*

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, de se exercetur pro foro externo, quandoque tamen pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

##### *Canon 2 (CIC 197)*

- § 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata quae ipsi personae non mediante officio conceditur.
- § 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.
- § 3. Qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

##### *Canon 3 (CIC 203)*

- § 1. Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.
- § 2. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur, ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse a delegante, uti conditio fuerit praescripta.

##### *Canon 4 (novus)*

- § 1. Potestas regiminis, ratione muneris fungendi ad quod ordinatur, distinguitur legislativa, exsecutiva et iudicialis.
- § 2. Potestas regiminis exsecutiva dicitur gratiosa, si exercetur in volentes; coercens, si exercetur in invitatos.

##### *Canon 5 (CIC 198)*

- § 1. Nomine Ordinarii in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, etiam si ad interim tantum, praepositi sunt alicui Eccle-

siae particulari communitative eidem aequiparatae ad normam can. ...; necnon qui in iisdem ordinaria gaudent potestate exsecutiva, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Superiores maiores qui in aliquo Instituto perfectionis clericali, ordinaria potestate legislativa aut saltem exsecutiva pollent.

§ 2. Nomine Ordinarii loci intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Superioribus Institutorum perfectionis.

*Canon 6 (novus)*

§ 1. Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto, et ea qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam, delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicite caveatur.

§ 2. Potestas iudicialis, qua vi ipsius iuris aut ex speciali Summi Pontificis commissione gaudent iudices aut Collegia iudicia, exercenda est modo iure praescripto, et delegari nequit, nisi ad actus cuivis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

§ 3. Ad potestatis exsecutivae exercitium quod attinet, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

*Canon 7 (CIC 201)*

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem exsecutivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet e territorio absentes, in peregrinos quoque in territorio actu degentes necnon erga seipsum; item eandem exercere valet extra propriam ditionem existens.

§ 2. Potestatem exsecutivam coercentem quis exercere nequit extra ditionem propriam existens; eam exercere potest in subditos, eosque, si pracepta aut decreta statuuntur personalia, etiam extra territorium versantes; in peregrinos autem in territorio versantes, tantummodo ad exsecutioni mandandas tum leges universales tum leges quibus ipsi ad normam can. 14 tenentur particulares.

*Canon 8 (CIC 199)*

§ 1. Potestas exsecutiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas exsecutiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest, sive ad actum sive ad universitatem casuum nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas exsecutiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tan-

tum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessione.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

*Canon 9 (CIC 200)*

Potestas exexecutiva ordinaria necnon potestas ad universitatem causum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

*Canon 10 (CIC 204)*

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, eo quod quis aliquam auctoritatem, etiam superiorem, competentem adeat, non suspenditur alias auctoritatis competentis gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immiscat inferior, nisi ex gravi urgente causa; quo in casu statim superiorem de re moneat.

*Canon 11 (CIC 205, §§ 2 et 3)*

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui prior negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 7 (de personis iuridicis; in CIC 101), nisi in mandato aliud cautum sit.

§ 3. Potestas exexecutiva pluribus delegata, praesumitur iisdem delegata in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens.

*Canon 12 (CIC 206)*

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum anterius concessum, nec postea revocatum fuerit.

*Canon 13 (CIC 207)*

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti

significata et ab eo acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata quae exercetur pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso tempore, validus est.

*Canon 14 (CIC 208)*

§ 1. Potestas ordinaria extinguitur amisso officio cui adnectitur.

§ 2. Nisi aliud iure caveatur, suspenditur potestas ordinaria, si intra tempus iure praescriptum contra decretum amotionis ab officio cui adnectitur instituitur recursus administrativus aut actio judicialis ad Tribunal administrativum.

*Canon 15 (CIC 209)*

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tum externo tum interno, potestatem regiminis gratiosam.

*Canon 16 (novus)*

Praescripta cann. 14 et 15 applicantur ad facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam quod attinet.

DE PERSONIS PHYSICIS

*Canon 1 (CIC 88)*

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra haec aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.

*Canon 2 (CIC 89)*

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurium potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, iis exceptis in quibus minores lege divina aut iure canonico a patria potestate exempti sunt; ad constitutionem tutorum eorumque potestatem quod attinet, serventur praescripta iuris civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate

aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

*Canon 3 (CIC 88, § 3)*

Quicumque usu rationis habitu est destitutus censemur non sui compos et infantibus assimilatur.

*Canon 4 (CIC 90)*

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilium habuit pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus est.

*Canon 5 (CIC 91)*

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

*Canon 6 (CIC 92)*

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tres menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

*Canon 7 (CIC 95)*

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 8.

*Canon 8 (CIC 93)*

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, communis quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domici-

lium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen etiam proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere.

*Canon 9 (CIC 93)*

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Quicunque alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatellam legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

*Canon 10 (CIC 94)*

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illius quoque qui non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commoratur.

*Canon 11 (CIC 96)*

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

*Canon 12 (CIC 97)*

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato, atque viget inter virum et mulieris consanguineos, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 2. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

*Canon 13 (novus)*

§ 1. Filii qui ad normam legis civilis nationis adoptati sint, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint, salvis cann. 1059 et 1080.

*Canon 14 (CIC 98)*

§ 1. Inter varios Ecclesiae Ritus ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis ad normam iuris baptizatus est aut baptizari debuisset.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii Ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium Ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad Ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt Ritum, cui ad normam par. 1 adscriptae erant reassumere.

3° filii quattuordecim annis minores quorum pater aut, in mixto matrimonio pars catholica, ad alium Ritum legitime transierit; adepta vero hac aetate, possunt pristinum Ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno Ritu recipiendi, non secumfert Ritus mutationem.

## DE PERSONIS IURIDICIS

*Canon 1 (CIC 99)*

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

*Canon 2 (CIC 100)*

Personae iuridicae constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

*Canon 3 (CIC 99 et 100)*

§ 1. Personae iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus feredis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad normam et statutorum.

§ 3. Universitas rerum constat bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, eamque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive una vel plures personae physicae sive Collegium.

*Canon 4 (novus)*

§ 1. Personae iuridicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituantur ut infra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eamdem expresse concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditions adimpleant iure ad eam obtinendam requisitae, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem expresse concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta a competenti auctoritate sint probata.

*Canon 5 (CIC 100 § 3)*

Personae iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

*Canon 6 (novus)*

Personam iuridicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

*Canon 7 (CIC 101)*

Ad actus collegiales quod attinet:

1° si agatur de electionibus, et iure statutisve aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est aetate.

2º Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure statutisve caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3º Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

*Canon 8 (CIC 102)*

§ 1. Persona iuridica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competenti auctoritate legitime suppressum aut per centum annorum spatium agere desierit; persona iuridica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio ad normam statutorum dissolvatur, aut si, de iudicio auctoritatis competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae iuridicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

*Canon 9*

Coniunctis universitatibus, sive personarum sive rerum, quae personae iuridicae sunt publicae, ita ut ex iisdem una constituatur universitas, personalitate quidem iuridica pollens, altera haec persona iuridica bona obtinet iuraque patrimonialia prioribus propria atque onera suscipit quibus eadem gravabantur, salva, ad destinationem praesertim bonorum necnon onerum adimptionem quod attinet, fundatorum oblitorumque voluntate.

*Canon 10*

Divisa universitate, quae persona iuridica est publica, ita ut aut illius pars alii personae iuridicae publicae uniatur, aut distincta persona iuridica publica ex parte dismembrata erigatur, auctoritatis ecclesiasticae cui divisio competat est, servatis quidem prae aliis fundatorum ac oblitorum voluntate, iuribus quaesitis, necnon statutis probatis, curare per se aut per alium, scilicet executorem:

1) ut communia quae dividi valent bona atque iura patrimonialia necnon aes alienum aliaque onera inter personas iuridicas de quibus agitur

debita cum proportione ex aequo et bono dividantur, ratione habita omnium adiunctorum et necessitatum utriusque;

2) ut communium bonorum, quae divisioni obnoxia non sunt usus et fructus utriusque personae iuridicae cedant, oneraque iisdem propria utriusque incumbant, servata item debita proportione ex aequo et bono definienda.

*Canon 11*

Extincta persona iuridica publica, eiusdem bona iuraque patrimonialia itemque onera obveniant personae iuridicae immediate superiori quae eundem aut similem persequitur finem, salvis semper fundatorum vel oblatorum voluntate, iuribus legitime quaesitis necnon statutis quibus extincta persona iuridica regebatur.

DE ACTIBUS IURIDICIS

*Canon 1 (novus)*

§ 1. Validus est actus iuridicus a persona habili aut competenti, positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituant, aut desiderantur sollemnia vel requisita lege ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus externus rite positus praesumitur validus; quae tamen praesumptio invocari nequit ad probanda quae natura sua actum essentialiter constituunt ne in dijudicanda competentia, quae quidem positive est probanda.

*Canon 2 (CIC 103)*

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolore, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam cann. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

*Canon 3 (CIC 104)*

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidit in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

*Canon 4 (novus)*

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo, de quibus in can. 2 § 2, aut ex ignorantia vel errore de quibus in can. 3, votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris iis quorum interest.

*Canon 5 (CIC 105)*

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorum indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

- 1) si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris consensum eorum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;
- 2) si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;
- 3) si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; quod si non convocentur omnes, aut si iisdem non praebatur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4 (can. 16 § 3 textus recogniti);
- 4) omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

*Canon 6 (novus)*

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libereposito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

## Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

*Canon 1 (CIC 145)*

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus a competenti auctoritate stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

*Canon 2 (CIC 1415)*

§ 1. Qui officium erigit, curare debet ut praesto sint media ad eiusdem adimplementum necessaria utque prospiciatur honestae sustentationi vel retributioni eorum qui officio funguntur.

§ 2. Nisi aliud iure statuatur, Episcoporum Conferentiae regionis est normas statuere quibus praescripta § 1 ad effectum deducantur.

Caput I - DE PROVISIONE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

*Canon 2 bis (CIC 147)*

Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

*Canon 3 (CIC 148)*

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

*Canon 3 bis*

Auctoritati, cuius est officia erigere, innovare et supprimere, eorumdem provisio quoque competit, nisi aliud iure statuatur.

*Canon 4 (CIC 149 et 153)*

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particularis aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse

ad validitatem exiguntur, valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam Tribunalis administrativi.

*Canon 5 (CIC 154)*

Officium secumferens curam animarum ad quam plene adimplendam ordinis Sacerdotalis exercitium requiritur, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit.

*Canon 6 (CIC 155)*

Officii provisio, nisi aliud iure statuatur, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

*Canon 7 (CIC 156)*

Nisi adsit vera necessitas, nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

*Canon 8 (CIC 150)*

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

*Canon 9 (CIC 151)*

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

*Canon 10 (CIC 158)*

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens officium confert, nullam inde potestatem acquirit in provisum, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

*Canon 11 (CIC 159)*

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

## Art. 1 - DE LIBERA COLLATIONE

*Canon 12 (CIC 152)*

Nisi aliud explicite iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario Generali et Vicario Episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

*Canon 13 (CIC 157)*

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptat aut decretum tulit, valide conferri suis aut resonantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

## Art. 2 - DE PRAESENTATIONE

*Canon 1*

§ 1. Praesentatio ad officium ecclesiasticum ab eo cui ius praesentandi competit fieri debet auctoritati cuius est ad officium de quo agitur institutionem conferre, et quidem, nisi aliud legitime cautum sit, intra tres menses ab habita vacationis officii notitia.

§ 2. Si ius praesentationis cuidam collegio aut coetui personarum competit, praesentandus designetur servatis canonum 16-27 praescriptis (de electionibus).

*Canon 2*

Nemo invitus praesentetur; quare qui praesentandus proponitur, de mente sua rogatus, intra octiduum utile eandem manifestet.

*Canon 3*

§ 1. Qui iure praesentationis gaudet, unum aut etiam plures et quidem tum una simul tum successive, praesentare potest.

§ 2. Nemo potest seipsum praesentare; potest autem Collegium aut coetus personarum aliquem sui sodalem praesentare.

*Canon 4*

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice, intra mensem, quendam praesentare.

§ 2. Si praesentatus ante institutionem factam renuntiaverit aut de vita decesserit, potest qui iure praesentandi pollet, intra mensem ab habita renuntiationis aut mortis notitia, ius suum rursus exercere.

*Canon 5*

Qui intra tempus utile, ad normam can. 1 § 1 et can. 4, praesentationem non fecerit, itemque qui bis praesentaverit non idoneum repertum, pro eo casu ius praesentationis amittit, atque auctoritati cuius est institutionem conferre competit officio vacanti libere providere, assentiente tamen, si de sodali Instituti perfectionis agatur, Moderatore eiusdem Instituti competenti.

*Canon 6*

§ 1. Auctoritas cui ad normam iuris competit praesentatum instituire obligatione tenetur instituendi legitime praesentatum qui idoneus repertus sit et acceptaverit; quod si plures legitime praesentati fuerint qui idonei reperti sint, eorundem unum instituere debet.

§ 2. Auctoritas ad institutionem conferendam competens, si institutionem denegat legitime praesentato qui idoneus repertus sit, pro eo casu amittit ius instituendi, quod quidem devolvitur ad auctoritatem immedia- te superiorum.

Art. 3 - DE ELECTIONE

*Canon 14 (CIC 160) (norma provisorie inscripta)*

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945, M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electione*, 5 septembris 1962, necnon M.P. Pauli VI *Ingravescentem aetatem*, 21 novembris 1970.

*Canon 15 (CIC 160)*

Nisi aliter aliud lege expresse provisum fuerit, in coeteris electionibus canonicis serventur praescripta canonum qui sequuntur.

*Canon 16 (CIC 161)*

Salvis legitimis collegii aut coetus statutis, si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

*Canon 17 (CIC 162)*

§ 1. Collegii aut coetus praeses modo statutis determinato, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat aut in loco domicilii aut quasi-domicilii aut in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

*Canon 18 (CIC 163)*

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 17, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa, nisi aliud statutis legitime provideatur, facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

*Canon 19 (CIC 164)*

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

*Canon 20 (CIC 165)*

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet.

*Canon 21 (CIC 166)*

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure invalida est.

*Canon 22 (CIC 166)*

§ 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi

1º Incapaces actus humani;

2º Minores duodeviginti annorum;

3º (circa infamiam iuris res accommodabitur ad ea quae in coetu de poenis statuentur);

4º Qui communictati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus ...;

5º Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive vi legitimae sententiae iudicialis.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam condemnatoriam aut habita sententia declaratoria.

*Canon 23 (CIC 169)*

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1º liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut diversas personas disiunctive;

2º secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

*Canon 24 (CIC 171)*

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores current ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis con-

stitutionibus statutisve aut legitimis consuetudinibus determinatam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quod quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

*Canon 25 (CIC 172)*

§ 1. Electio, nisi aliud iure aut statutis caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate elegant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

*Canon 26 (CIC 173)*

Cessat compromissum et ius suffagium ferendi reddit ad compromitentes:

- 1° revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2° non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° electione absoluta, si fuerit nulla.

*Canon 27 (CIC 174)*

Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 7 recogniti de actibus iuridicis.

*Canon 28 (CIC 175)*

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

*Canon 29 (CIC 176)*

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, officium pleno iure statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere in administratione officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et accus ab eo forte positi nulli sunt.

*Canon 30 (CIC 177)*

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum utile a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum reperit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur.

*Canon 31 (CIC 178)*

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmando esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Art. 4 - DE POSTULATIONE

*Canon 32 (CIC 179)*

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praferant, impedimentum canonicum obstet, super quo dispensari possit ac soleat,

suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

*Canon 33* (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

*Canon 34* (CIC 181)

§ 1. Postulatio a praeside intra octiduum utile mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur iure eligendi aut postulandi, nisi probetur praesidem amittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportunomittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Factam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

*Canon 35* (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § 1 (CIC 175).

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, pleno iure statim officium obtinet.

Caput II - DE AMMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

*Canon 36 (CIC 183)*

§ 1. Ammittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoratis a qua fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

1) DE EMERITATU

*Canon 37 (novus)*

Quis expleverit aetatem, qua adepta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

2) DE RENUNTIATIONE

*Canon 38 (CIC 184)*

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

*Canon 39 (CIC 185)*

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo vel errore substantiali aut simoniace facta, ipso iure irrita est.

*Canon 40 (CIC 186-187-189-191)*

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctorati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, nisi intra tre menses acceptetur, omni vi caret; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante

revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

### 3) DE TRANSLATIONE

#### *Canon 41 (CIC 193)*

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

#### *Canon 42 (CIC 194)*

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

### 4) DE AMOTIONE

#### *Canon 43 (novus)*

Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 45.

#### *Canon 44 (novus)*

§ 1. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 2. Eadem norma § 1 valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

*Canon 45 (novus)*

§ 1. Ipso iure a quolibet officio ecclesiastico amovetur:

1º qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2º qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3º qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Superioris religiosi, officium retinere possit;

4º qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

5º qui officium publice deseruerit;

6º qui obligationem residentiae, qua tenetur, violaverit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detenus, intra congruum ab auctoritate praefinitum tempus, non paruerit aut eidem non responderit.

§ 2. Ipso iure ab officio clericali amovetur:

1º qui statum clericalem amiserit;

2º qui militiae saeculari nomen sponte dederit, contra can. ... (de clericis)

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

*Canon 46 (novus)*

Si quis, non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas obligatione tenetur curandi ut ipsius substantiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

5) DE PRIVATIONE

*Canon 47 (novus)*

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

